

LVNÆ DIE 15 M. AVGVSTI A. 2011
A.d. XVIII Kal. Septembres a. MMXI

I 63

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / glicoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne – n° d'agrément P912128

AD LECTOREM

REDITVS ATHENAS

Rebus antiquitus gestis in collegio meo imbutus, tria præsertim itinera facere cupiebam : adire Romam, Athenas et Ægypti pyramides. Roma, magnificum caput extenti diutinique imperii, quod pacem et prosperitatem usque ad regionem meam attulit ; Athenæ, bellis contra Persas gestis illustratæ, ubi fortitudo liberorum hominum superare valuit Asiaticam multitudinem servorum superbi Regis Regum ; maximæ Ægypti pyramides, quarum tanta est moles et artificiosa perfectio, ut etiam hodierni non plane intellegant quomodo exstruiri potuerint.

Primum iter in Italiam mihi obtulerunt parentes ; Helladem et Ægyptum postea meo Marte compluries lustravi. Exeunte autem vere huius anni mihi Athenas redire contigit. Dum per vias ambulo et ad acropolim specto, mihi in mentem venit Athenas aspectum magnæ urbis, qualis nunc est, non præbituram fuisse, nisi Pericles Parthenonem exstruendum curavisset.

Sæculo quinto a.Ch.n. Athenæ accedunt ad fastigium potentiarum et divitiarum ; eximii artifices illius ætatis, architecti, sculptores, pictores, scriptores, tantam gloriam Athenis contulerunt, ut post extinctiōnem fere totam hodie iterum floreat.

Exeunte quinto sæculo iam est finis potentiarum Athenarum, quas graviter vicit Sparta ; tunc solum Longi Muri delentur.

Medio circiter quarto sæculo crescit Macedoniæ potestas ; eius rex Philippus II Græcas civitates vincit.

Cum Alexandro Magno, Philippi II filio, incohatur ætas Hellenistica. Alexandria paulatim fit umbilicus cultus Hellenici. Athenæ tamen florere pergunt, quamquam multas regiminis vicissitudines patiuntur propter Macedonum bella intestina.

Sæculo secundo nova potestas oritur ex Occidente ; Romani enim, profligatis Macedonibus, in dicione sua tenent urbem Athenas, cui statum urbis liberæ conferunt propter præstantiam eius scholarum, Academiæ Platonis, Lycei Aristotelis, Horti Epicuri.

Hæc tamen felicitas non est longa ; in bello enim Romanorum contra Ponti regem Mithridatem, Athenienses fiunt Mithridatis socii. Error cuius pretium est grave : nam Sylla, victo Mithridate, Athenas diu obsessas expugnat severeque tractat ; nonnulla ædificia delentur, scholæ philosophicæ clauduntur ; ultimus Academiæ sodalis, Philo Larissæus, Romam confudit, ubi Ciceronem docet.

Notandum est initio belli Mithridatem Ephesum triumphaliter intravisse atque Ioniæ Græcos sibi facile fecisse socios ; tunc iubet 80 milia Romanorum in Asia Minore degentium trucidari. Hic fortasse iam videmus initium Græcorum odii cum Latinis, quod præsertim

patebit tempore imperii Byzantini.

Athenæ fiunt urbs Romana ; inter alia forum Romanum instruitur et odeon exstruitur in agora Græca. Athenæ tamen magni ponderis manent in rebus ad cultum civilem pertinentibus. Complures imperatores Romani magna ædificia curant exstruenda, inter quæ templum Iovis, horologium, bibliothecam, gymnasium et aquæductum adhuc in usu ; Nero et Hadrianus Athenas invisunt.

Medio tertio sæculo p.Ch.n. incohatur ætas barbarica. Anno 267 barbari Heruli Athenas diripiunt omniaque publica ædificia incendunt ; Agora et Acropolis læduntur. Urbs multo minor fit ; Acropolis et vicus Plaka sub septentrionalibus collis radicibus situs rudibus moenii circumdantur ; Agora Græca relinquitur extra muros.

Post Imperii Romani scissionem, Athenæ sunt in parte orientali, quæ post Constantini I regnum gradatim fit christiana. Athenis tamen anno circiter 400 a Plutarcho Atheniensi conditur nova schola philosophica, eademque neoplatonica ; Proclus, clarissimus neoplatonicorum, eam ad fastigium dicit usque annum 485. Cum hi philosophi religionem christianam non agnoscant ut veram, imperator Iustinianus scholam anno 529 claudi iubet ; hic est in multa sæcula finis liberæ cogitationis in orbe christiano.

Christiani deorum templa delere solent ; servant tamen Parthenonem et Erechthei templum, quæ in ecclesiis transformant.

Ineunte ætate Byzantina, Athenæ iacent miserabiles ; multa artis mirabilia Constantinopolin transferuntur. Sæculo septimo irrumpunt Avari et



Ecclesia Byzantina undecimo sæculo in Agora Græca exstructa, compluries læsa, restaurata est anno 1950 (photographema mense Iunio a. 2011 factum).

Slavi ; nemo in Græcia iam securus est.

Res melius se habent nono sæculo, cum regimen Byzantinum tandem valet barbaros domare et tranquillitatem restaurare ; residui barbari hellenizantur. Tunc oritur nova prosperitas ; Athenæ dilatantur et Agora diu derelicta iterum occupatur. Huc afferuntur sapones et colores, quorum commercium allicit negotiatores præsertim Venetos. Sæcula undecimum et duodecimum ibi sunt ætas aurea artis Byzantinæ ; præstantiores ecclesiæ tunc exstruuntur in urbe et in vicinia.

Anno 1204 fit magna clades ; crucigeri de scopo sancto deducuntur a Venetis, qui invidia compulsi expugnare cupiunt Constantinopolin ; qua direpta, imperium Latinum instituitur, cui Græcia quoque includitur. Athenæ tunc sunt in dictione baronum Francorum ; modo feudalitatis creator Ducatus Atheniensis, cuius domini compluries mutantur. Regnante stirpe Burgundionum, turris campanaria Parthenoni additur atque Acropolis munitur. Torneamenta, dilecti ludi equitum Francorum, instituuntur.


Deinde caterva mercenariorum Cataloniensium Athenis anno 1311 potitur ; anno demum 1388 expelluntur a Nerio Acciaiuoli Florentino, qui se proclamat Dux ; non sine contentione cum Venetis, eius stirps ibi regnat usque ad Othomanorum invasionem.

Tribus annis post Constantinopolin expugnatam sultanus Mahumetus II Athenas intrat ; tanta antiquorum ædificiorum admiratione movetur, ut edicto capitatis damnationem minetur omnibus, qui ea diripere vel delere audeant... et Parthenonem in meschitam transformat. Inde tamen urbs tantum exhaustur, ut septimo decimo sæculo solum restet parvus vicus.

Hoc sæculum maxime funestum est ; cum enim Turci copiam pulveris displosivæ in Parthenone et Propylæis condiderint, anno 1640 accidit ut Propylæa fulmine percussa pulveris displosione deleantur. Anno 1687, cum Athenæ a Venetis obsidentur, parvum templum Athenæ Nikes a Turcis dissolvitur ad firmando mœnia ; pulvis in Parthenone conditus percutitur globo ferreo a Venetis misso et disploditur magno cum templi damno. Acropolis a Venetis sex menses occupatur, inter quos complura articia et Parthenonis fragmента auferuntur. Postero anno Othomani Athenas recuperant et incendunt.

Sæculo duodevicesimo antiqua ædificia iterum dissolvuntur, ad nova mœnia exstruenda, quæ Turci Athenis anno 1778 circumdant.

Ineunte undevicesimo sæculo Thomas Bruce, Lord Elgin dictus, qui Athenis degit, clarissima Parthenonis anaglypta rapit necnon unam ex Erechthei templi Caryatidum, quæ omnia in Magnam Britanniam



Rarissimus « daguerreotypus » Acropolis anno 1850 factus, i.e. paucis tantum annis post photographema inventum.

transportantur.

Sæculo undevicesimo sensum alicuius nationis Græcæ in populum inducunt pauci Græci, quibus consuetudinem habere licuit cum Europa Sæculi Lucentis vocati. Huic sensui favet malus status imperii Othomanici, quod minus minusque resistere valet impetibus Austriorum et Russorum ; initium est Quæstionis Orientis, quæ dicitur.

Societas Amicorum (Φιλικὴ Ἐταιρεία) extra Græciam conditur ; eius dux Alexander Ypsilantis rebellionem totius Græcæ anno 1821 excitat. Die 1 mensis Ianuarii 1822 respublica Græca libera Epidauri proclamatur a Coetu Nationali, cuius participes, libertatis principiis revolutionis Americanæ et Francogallicæ nixi, se Hellenes vocant seque heredes habent primæ democratiae Græcæ. Eos in Europa efficaciter iuvat Motus Philhellenicus constans ex hominibus excutis historia antiqua Helladis imbutis, e quibus clarissimus est Lord Byron.

Duobus primis annis, Turci rebelles tam atrociter opprimunt, ut præcipua regimina Europæa pro eis intercedere statuant. Turci, cum nolint quicquam concedere, aggrediuntur et maximam cladem navalem in sinu Pyli (tunc Navarino vocato) anno 1827 accipiunt a consociatis classibus Francogallorum, Russorum et Britannorum. Bellum tamen non est finitum ; Athenæ a rebellibus et Turcis compluries obsidentur, ita ut Acropolis ædificia iterum lædantur. Othomani Athenas anno demum 1833 relinquunt, postquam anno 1832 Græcæ libertatem agnoscere coacti sunt. Post quattuor sæcula diræ occupationis Turcicæ, in nova patria Græca tantum supersunt 600 milia incolarum !

Medio undevicesimo sæculo oportet omnis civitas regem habeat ; quare Græcæ imponitur rex e Bavaria oriundus, Otho I. Eius urbs caput imprimis est

Nauplia, sed propter Athenarum historicam gloriam regiminis sedem illuc transfert, quamquam tunc Athenæ ad parvum vicum quinque circiter milium miserabilium habitantium redactæ sunt. Othono I regnante, urbs moderna exstruitur et magnis ædificiis ornatur.

Sequuntur frequentes mutationes in regimine nec non decoctiones ; extraneæ potestates non desinunt se ingerere Græcis rebus politicis. Oritur tunc « Magnum Propositum », quod est Constantinopoli potiri et imperium Byzantium restaurare. Res talis non est, qualis fieri non possit, cum Othomani a Russis continuo profligatis magis magisque debilitentur. Proposito favent Russi, sed obstant Angli, qui quæstuosum commercium cum Sublimi Porta malunt servare ; infelicitate Constantinopolis manebit in Turcorum dione.

Otho I, rex absolutus, anno 1844 cogitur constitutionem accipere, quam flocci facit ; anno tamen 1862 militum rebellione deponitur et in exsilium mittitur.

Magna Britannia sine mora Danum principem afferit, qui fit Georgius I, rex Hellenum. Nova constitutio magis democratica elaboratur et regimen parlamentarium ab anno 1875 instituitur.

Anno 1912 constituitur « Consociatio Balcanica », quæ constat e Græcis, Serbis et Bulgaris. Othomanis ab eis compluries victis, territorium regni Græci ad septentriones extentum Thessalonicam et Ianinam includit necnon insulas maris Ægei et Cretam.

Post primum bellum mundanum corruit victum imperium Othomanicum ; in pacis foederibus tunc pacatis, Græci obtainent administrationem regionis Smyrnæ, cuius plurimi incolæ sunt Græci. Res inexspectata, Mustapha Kemal, qui in ruinis imperii Othomanici modernam civitatem Turcicam in Asia Minore condit, Græcorum præsentiam ibi diutius non tolerat ; eos profligat.

Post hanc cladem anno 1921 acceptam, Græci Smyrnam et totam Ioniam relinquere coguntur ; multi confugæ Athenis collocati nova creant suburbia, quorum nomina, Nea Ionia et Nea Smyrni, sunt patriæ perditæ memoriae.

Postea regimen pendet a militibus et complures fiunt mutationes ; Republica anno 1924 instauratur ; inde res œconomica melior non fit ; plures pluresque homines munere vacant, unde frequentia operistitiae.

Anno 1935 milites regem Georgium II in throno iterum imponunt ; postero anno generalis Metaxas constitutionem tollit et dictaturam suam instaurat.

Post alterum bellum mundanum, multi incolæ remotos vicos et insulas relinquunt, Athenas confluentes. Urbs tantum crescit ut nunc habeat quat-

tuor fere miliones habitantium.

Ultimus Græciæ rex, Constantinus II, anno 1973 deponitur et Republica proclamatur, quæ adhuc viget.

Conspecta Græciæ modernæ historia, mirandum non est si res publica hodierna decoctionem iterum patitur : Græcia semper eguit pecunia locupletum Græcorum extra patriam viventium et auxilio civitatum Europæarum quin etiam Americæ.

Regimen hoc anno ingenti ære alieno obrutum ligationes suas magis magisque minuere conatur, quod populus ægre fert. Dum Athenis versor, cottidie vespero habentur vehementes reclamations in magna platea Syntagma (i.e. ‘Constitutio’) ante ædificium Parlamenti Hellenici ; instat etiam operistitium (ἀπεργία) generale. Incolæ tamen non videntur miserabiles ; ingens est commeatus vehiculorum, quorum pleraque sunt recentia ; thermopolia vespero iuvenibus sunt refertissima ; multo pauciores hic sunt mendici quam Bruxellis ; lautum est tramen subterraneum...

Multi sunt extranei mirabilia lustrantes ; turba eorum, qui gradus Propylæorum ascendunt, certe maior est quam pompa Panathenaicorum. Parthenon, ubi nunc fiunt opera restorationis, nil perdidit suæ sempiternæ fascinationis.

Una tamen res mihi valde dispuicuit : in novo pulcherrimoque Acropolis museo sub colle exstructo non licet photographare ! ☺

Gaius LICOPPE



A caupona « Dionysos » vocata pulcherrimus prospectus in Acropolin et Parthenonem præbetur (photographema mense Iunio a. 2011 factum).

« INFREMVERE OLLÆ GEMITVMQVE DEDERE PATELLÆ » :

DE CATTO SVPLICIO AFFECTO CARMEN IOCOSVM (1826) (II)

— *scripsit Theodericus Sacré —*

At tandem aliquando versus ipsos, in cœtu academiaco Parisiensi a.d. III Id. Dec. anno 1826 publice recitatos, denuo proponamus.¹ Quorum quo sales commodius impensisusque gustarentur, fontes adiecum præcipios locosque similes. Unum præmonendum restat : inesse huic carmini quæ vel risum vel admirationem moveant, suasque quidem habere veneres versiculos ; at hic illic offendier quæ a summa perfectione absint, quod vel in eadem incurramus vocabula sæpius iterata, vel in syntaxim paululum claudicantem.

Infandum,² pia turba, iubes renovare dolorem,
Ut quondam iniusto damnatus criminis mortis
Occiderit gentis splendor, dum fata sinebant,
Nunc desiderium, feles, ut triste cadaver
Infami affixum palo sævisque vorandum
Muribus implacata coqui suspenderit ira.
Hei mihi ! Longævam quamvis experta senectam,
Mens etiam meminisse horret refugitque loquendo
Frigida et in medio arescit mihi lingua palato !

Scilicet antiquis surgit qua proxima tectis
Barbara³ et altrices sedem posuere Camenæ
Innumerosque regit sapiens Lannæus⁴ alumnos,
Vivebat feles olim melioribus annis.
Hunc iuvenes, hunc ipse pater, domus omnis amabat ;
At non Parnassi mures, divina profano

10 15

Iampridem assueti corrodere carmina dente
Aonidumque domos densis violare catervis.
Ille etenim exiguae turbabat gaudia turbæ,
Seu quasi semianima languens cervice repente
Opprimeret trepidos rapido levis impete et atra 20
Strage pavimentum consterneret, aut⁵ pede prompto
Immissus per aperta ferox tabulata fugaces
Excuteret, rabidis et velleret unguibus artus,
Atque cruenta super recubaret membra iacentum.
Felix, heu ! nimium felix, si limina tantum 25
Numquam fumosæ tetigisset sacra culinæ !
Sed quid non feles, male provida pectora, cogis,
Ventris sæva famæ ? Miserum fatalia tandem
Assueti subiere animum fastidia victus
Seque heros mensa demens dignatur herili ! 30
Ergo moræ impatiens, arrepto tempore, noster
Decrevit (quoniam traherent⁶ sic fata !) palatum
Divinis saturare cibis ac vivere rapto.
Talia degeneri secum sub corde volutans
Ante focum optatæ adrepit, mora nulla, culinæ, 35
Opperiens tempus tacitisque obtutibus omne
Explorat spatium et dapibus se accingit opimis.

Hic geminos inter (quæ nescio causa subegit)
Forte coquos inter⁷ orta est discordia ; primum
Aspera certatim gravida convicia lingua 40
Eructare ; tonat calidissima rixa ; repente



1-2 VERG. Æn. 2, 3-5 : Infandum, regina, iubes, renovare dolorem, / Troianas ut opes et lamentabile regnum / eruerint Danai | 2 VERG. Æn. 6, 430 : Hos iuxta falso damnati criminis mortis | 3 VERG. Æn. 4, 651 : Dulces exuviae, dum fata deusque sinebant | 4 [TIBVLL.] 3, 7, 188 : Nunc desiderium superest ; nam cura novatur | 8 VERG. Æn. 2, 12 : Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit | 9 VERG. georg. 3, 388 : Nigra subestudo tantum cui lingua palato | 13 VERG. Æn. 6, 649 : Magnanimi heroes, nati melioribus annis | 16 IVV. 3, 207 : Et divina opici rodebant carmina mures | 17 LVCAN. 7, 492 : Pompei densis acies stipata catervis | 19 FÆRN. fab. 59, 6-9 : Hunc vicissim excogitavit callidus felem dolum, / ut tigillo prominenti pariete ex domestico, / applicans pedes supinos, capite deorsum pendulo, / mortuum simularet | 23 OV. Ib. 599 : Diripiantque tuos insanis unguibus artus | 24 STAT. Theb. 10, 476 : Proslit in campos ; per et arma et membra iacentum | 25-26 VERG. Æn. 4, 657-658 : Felix heu nimium felix si litora tantum / numquam Dardianæ tetigissent nostra carinæ | 27-28 VERG. Æn. 3, 56-57 : Vi potitur – quid non mortalia pectora cogis, / auri sacra famæ ? – postquam pavor ossa reliquit | 30 VERG. ecl. 4, 63 : Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est | 31 IVV. 6, 327 : Tunc prurigo moræ impatiens, tum femina simplex | 31 VERG. Æn. 11, 459 : ‘Immo’ ait ‘o cives’, arrepto tempore Turnus | 33 VERG. Æn. 7, 749 (cf. 9, 613) : Convectare iuvat prædas et vivere rapto | 34 VERG. Æn. 1, 50 (cf. 4, 533 ; 6, 185) : Talia flammato secum dea corde volutans | 35 VERG. ecl. 5, 70 : Ante focum, si frigus erit ; si messis, in umbra | 36 VERG. Æn. 12, 666 : Turnus et obtutu tacito stetit ; æstuat ingens | 37 VERG. Æn. 3, 224 : Exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis | 38 VERG. Æn. 8, 112 : Et procul e tumulo ‘iuvenes, quæ causa subegit’ | 38-39 VERG. Æn. 12, 583 : Exoritur trepidos inter discordia cives

Acer utrumque rapit furor, ardua tollit uterque
 Bracchia præcipitatque furens ; pugna aspera surgit ;
 Crebra cruentatis violantur tempora pugnis.
 Opportuna loco bellantes area cepit : 45
 Huc immensa ruit domus omnis et excita fervet
 Applausu unanimi studiisque ingentibus ; adsunt
 Discipuli ante alios, Mavortia pectora, læta
 Circum attollentes repetitos voce cachinnos ;
 Nec pugnæ finem placet imposuisse, sed ipsi 50
 Bellantum rapido stimulus sub pectore vertunt.

Interea feles dapibus gaudere relictis ;
 Scilicet hinc illinc incustodita iacebant
 Fercula rectoris, spatum admirabile rhombi
 Gobioque exiguus quem Sequana miserat unda, 55
 Agrestisque lepus, viduæ levis incola silvæ,
 Non procul et suavis, cenæ spes maxima, perdix
 Caule super pingui multoque in iure natabat.⁸
 Qualia latranti stomacho irritamina ! Quales
 Deliciae ! Stupet in mediis, prædæ anxius, heros, 60
 Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
 Itque reditque viam, dulcesque hinc inde patellas
 Sollicito tangens interrogat ore..., sed adsunt
 Ecce cachinnantes servi subeuntque culinam :
 Arrepta perdice simul fugit ocior Euro 65

Ad notasque redit latebras seque eripit hosti.
 Fumosa interea summus qui regnat in aula
 Iuraque dat cunctis leges et temperat æquas
 Archimagirus adest ; perdicem quæritat utque
 Ereptam sensit violataque iura culinæ, 70
 Tum vultus (non vana fides !) pallescere visi,
 Horror habet mentem, nigra stant lumina flamma
 Atque indignanti fluctus in pectore volvit
 Irarum ingentes ; vasto mox oris hiatu,
 Asperiora minans, horrendum prætonat,⁹ almæ 75
 Queis sonuere diu penetralia longa culinæ :
 Infremuere ollæ gemitumque dedere patellæ.
 « Me miserum », exclamat, « tantis sudoribus empta
 Gloria quid prodest ? Pleni quid honoribus anni ?
 Nobile quid capit is celso stans vertice tegmen ? 80
 Abstulit emeritos fati inclemencia canos !
 Raptor, raptor ubi est ? Ite ocius, ite, sodales !
 Ferte citi flamas fustesque et verbera dura ;
 Seu vivum, seu iam merita sit morte peremptus,
 Prendite et ante ducem, nec sit mora, sistite vestrum ! 85
 Vos, æterni ignes, altaria sacra culinæ,
 Teque, atra pecudum strage alituumque medullis
 Pingue solum, testor, cultrique insigne decorum,
 Aurea pendentem lateri quem fibula nectit,

43 VERG. *Æn.* 9, 667 (cf. 11, 635) : Dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit | 45 VERG. *Æn.* 9, 531 :
 Opportuna loco, summis quam viribus omnes | 48 SIL. 15, 3 : Scipio, belligeri, Mavortia pectora, fratres
 50 VERG. *Æn.* 5, 463 : Sed finem imposuit pugnæ fessumque Daretæ | 51 VERG. *Æn.* 6, 101 (cf. 9, 718) : Concutit
 et stimulus sub pectore vertit Apollo | 54 IVV. 4, 39 : Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi | 57 IVV. 1, 133-
 134 : Votaque deponunt, quamquam longissima cenæ / spes homini ; caulis miseris atque ignis emendus | 58 IVV.
 14, 8 : Boletum condire et eodem iure natantis | 59 HOR. serm. 2, 2, 18 : Latrantem stomachum bene leniet. Unde
 putas aut | 61 VERG. *Æn.* 4, 285 (cf. 8, 20) : Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc | 62 VERG.
Æn. 6, 122 : Itque reditque viam totiens. Quid Thesea magnum | 65 VERG. *Æn.* 12, 733 : Ni fuga subsidio subeat.
 Fugit ocior Euro | 67 VERG. georg. 4, 90 : Dede neci ; melior vacua sine regnet in aula | 68 VERG. *Æn.* 1, 507 :
 Iura dabat legesque viris operumque laborem | 69 IVV. 9, 109 : Finixerunt pariter libarius, archimagiri | 71 VERG.
Æn. 4, 12 : Credo equidem – nec vana fides – genus esse deorum | 73-74 VERG. *Æn.* 12, 831 : Irarum tantos vol-
 vis sub pectore fluctus | 74 VERG. *Æn.* 6, 237 : Spelunca alta fuit vastoque immanis hiatu | 77 VERG. *Æn.* 2,
 53 : Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ | 82-83 VERG. *Æn.* 4, 593-594 : Diripientque rates alii navalibus ? Ite, / ferte citi flamas, date tela, impellite ramos | 84 VERG. *Æn.* 4, 696 : Nam quia nec fato, merita nec
 morte peribat | 84 VERG. *Æn.* 6, 163 : Ut venere, vident indigna morte peremptum | 85 OV. fast. 4, 269 : Ipsa
 peti volui ; ne sit mora ; mitte volentem | 86-88 VERG. *Æn.* 2, 154-155 : ‘Vos, æterni ignes, et non violabile ves-
 trum / testor numen’, ait, ‘vos, aræ ensesque nefandi’ | 87-88 VERG. *Æn.* 4, 201-202 : Excubias divom æternas,
 pecudumque cruento / pingue solum et variis florentia limina sertis | 88 VERG. *Æn.* 2, 392 : Androgei galeam cli-
 peique insigne decorum | 89 VERG. *Æn.* 4, 138 : Aurea purpuream subnectit fibula vestem

Per caput hoc iuro : non impunitus abibit Nec tanto sese iactabit funere raptor ! » ¹⁰	90
Ecce trahebatur, circum exsultante caterva, Heros infelix, morti devotus acerbæ.	
Et iam nulla mora est : sævum ducis ante tribunal Prociunt. Stabat cathedra sublimis in alta	95
Prætor et officii gestans insignia, longo Ininxusque veru rigidoque acinace ¹¹ fremebat,	
Fronte supercilia attollens truculenta minaci ; Laneus hærebat capiti de more galerus	
Fibulaque albentem stringebat eburnea mappam.	100
Utque reum videt ante pedes demissaque terra Lumina pallentesque atra formidine vultus, Quamvis prostrato suaderet parcere culpa Ignoscenda quidem, sciret si ignoscere vindex, Non minor ira ducis rabido sub pectore sævit : « Tune », ait exclamans, « confidentissime, nostras	105
Ausus adire domos spoliisque ac fraude potiri, Eximiasque dapes scelerato tangere morsu ! Nec te noster amor, nec te fiducia magna, Nec mensæ tenuit saltem reverentia herilis ! Hic vitæ communis honos, hæc gratia nobis	
Reddita ! Sic furto, nequam, mea munera pensas !	110

Nunc morere, indignum merito scelus elue ferro,
Si potis es tantæque heu sera piacula culpæ
Admittit vindicta deûm ! » Sic ille ; vicissim 115
Ora resolvebat feles dictura, sed obstat
Terribilis doctor gestuque atque ore minaci
Imperat acciri lictorem et triste parari
Supplicium. Ah misero si fandi copia detur,
Haud impune quidem Stygias trudatur ad umbras ; 120
Iret supplicii comes archimagirus et omnis
Turba culinarum : quoties instructa rapinis
Cena frequens ! quoties ieunia tristia Musis
Imposuit luxus mensæ servilis inemptus !
Sed quid vana loqui prosit, quid fundere questus ? 125
Dant veniam corvis, vexant fera fata columbas.

Talia dum tristi secum sub pectore volvit,
Lictor torva tuens aderat ; sævoque revulsum
Ense caput cecidit ; iacet ingens limine corpus,
Vita autem æternas fugit indignata sub umbras. 130

Cornu (Jules-François), de Sardy (Nièvre),
Malibert (César-René-Julien), de Mayenne (Mayenne),
Jaubert de Passa (Edmond), de Perpignan (Pyrénées-Occidentales).

90 VERG. Æn. 9, 300 : Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat | 92 VERG. Æn. 2, 403 : Ecce trahebatur passis Priameia virgo | 101-102 VERG. Æn. 12, 220-221 : Suppliciter venerans demisso lumine Turnus / taben-tesque genæ et iuvenali in corpore pallor | 102 VERG. Æn. 12, 335 : Thraca pedum ; circumque atræ Formidinis ora | 104 VERG. georg. 4, 489 : Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes | 106 VERG. georg. 4, 445-446 : ‘Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras / iussit adire domos ? quidve hinc petis ?’ inquit ; at ille 108 OV. met. 4, 113 : Et scelerata fero consumite viscera morsu | 109-110 VERG. Æn. 4, 307-308 : Nec te noster amor nec te data dextera quondam / nec moritura tenet crudeli funere Dido ? | 110 OV. met. 7, 145 : Sed te ne faceres tenuit reverentia famæ | 111-112 OV. met. 5, 14-15 : Mens agit in facinus ? Meritisne hæc gratia tantis / redi-tur ? Hac vitam servatæ dote rependis ? | 113 VERG. Æn. 2, 550 (cf. 10, 743) : ‘Nunc morere’. Hoc dicens altaria ad ipsa trementem | 113 VERG. Æn. 4, 547 : Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem | 118-119 VERG. Æn. 7, 596-597 : O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit / supplicium votisque deos venerabere seris | 120 LVCAN. 6, 568 : Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras | 124 VERG. georg. 4, 133 : Nocte domum dapi-bus mensas onerabat inemptis | 126 IVV. 2, 63 : Dat veniam corvis, vexat censura columbas. | 128 VERG. Æn. 6, 467 : Talibus Æneas ardentem et torva tuentem | 129 VERG. Æn. 12, 382 : Abstulit ense caput truncumque reli-quit harenæ. | 129 VERG. Æn. 2, 557-558 : Regnatorem Asiæ. Iacet ingens litore truncus / avolsumque umeris caput et sine nomine corpus | 131 (qui versus ultimus) VERG. Æn. 12, 952 (Æneidos versus ultimus ; cf. 11, 831) : Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

APPENDICES

I. EPITAPHIUM VIRI MORSIUNCULA FELIS OCCISI

Hocce epigramma Romæ dicitur adservari in S. Mariæ de Populo. Non meis vidi oculis, sed offendii in libro Ambrosii Landucci c.t. *Origine del tempio dedicato in Roma alla Vergine Madre di Dio Maria presso alla Porta Flaminia, detto boggi del Popolo* (Romæ, 1646), p. 168 : loquitur defunctus :

Hospes, disce novum mortis genus : improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, et intereo.¹³

Quos cum versiculos in ipso templo quærerem, non repperi ; comperi in pavimento mihi fuisse despiciendum, id quod neglexeram. Postea miram epitaphii huius fuisse fortunam didici ; quam ego non perversigabo, adumbrabo tantum. Etenim constat hosce versiculos pro antiquis nonnumquam esse habitos : cfr. *Anthologia veterum Latinorum epigrammatum et poematum. Editionem Burmannianam digessit et auxit* Henricus Meyerus Turicensis, II (Lipsiæ, 1835), num. 1198 (p. 96, subiuncta adnotatiuncula). At inde a saeculo XIX recentioribus semper adnumeratur epigrammatis. Quis vero ultimum diem ita infeliciter obierit, non constat. Sunt qui contendant Baldum de Ubaldis, iurisconsultum illum celeberrimum, anno 1400 morsu felino saucium animam efflavisse atque inde eo epitaphio esse donatum ;¹⁴ ipse vix credo, cum Baldus ille non Romæ, sed Ticini sive Papiæ vitam terrenam reliquerit non felis, sed rabidi canis, ut traditur, morsu appetitus. Iohannis vero Wolfgangi Goethei pater, cum templum anno 1740 lustrasset, virum natione Hispanum sepulta-
ra ibi esse affectum scripsit ; nomen ei fortasse Francisco Tovar, annus mortis 1507, id quod rationi est consentaneum.¹⁵ Utcumque erat, epitaphii clara apud multas gentes fuit fama ; multi enim viri peregrinabundi id se Romam vidisse renuntiarunt idemque exscripterunt ; immo eosdem versiculos significavit Franciscus Rabelæsus (1494(?) - 1553), scriptor præclarissimus Romæ aliquamdiu commoratus, cum *Pantagruelis* libro IV mentionem iniceret viri « qui, à Rome, est en la voye Flaminie enterré, lequel en son épitaphe se complainct estre mort par estre mords d'une chatte on petit doigt ».¹⁶ Præterea Franciscus Sweertius, humanista Antverpiensis (1567-1629), idem epigramma bis attulit (cfr. *Selectæ Christiani orbis deliciae, ex urbis, templis, bibliothecis, et aliunde [...]* [Coloniæ, Agrippinæ, 1608], p. 45 ; *Epitaphia ioco-seria Latina, Gallica, Italica [...]* [Coloniæ, 1623], p. 20).

2. AUGUSTUS D***, ‘LE CHAT’ (*Souvenirs littéraires du petit séminaire de Paris, ou choix de devoirs en prose et en poésie latines, faites par les élèves de Troisième et de Seconde au petit séminaire de Paris, 1838-1849, recueillis et mis en ordre* par M. l’abbé G. Cathelin [Parisiis, 1849], p. 75)

Vidimus eximia nuper pictam arte tabellam :
Ante focum feles mentitur callida somnum,
Muribus insidias meditans. Lucescere pellem
Villosum dederat pictor ; sub ventre reflectit
Insidiosa pedes ; vultu mansueta benigno 5
Dormitat ; blandum pendet caput. Inscia fraudis
Gens pede prompta brevi furtim sua tigna relinquit
Quæsitura cibum ; sed conscientia turba videtur
Audacis facti et somnos interrogat hostis
Aure oculisque vigil ; pedibus, velut anxia, quemque 10
Declinat sonitum, ne vitæ redditia feles
Dente simul, simul ungue gregem lanietque voretque. ☩

1. Cfr. Institution de l’Université Royale, dirigée par M. de Lanneau fils, Rue de Rheims, à l’ancien collège de Sainte-Barbe, *Séance littéraire annuelle* (Paris : imprimerie de Decoruchant, 1826), pp. 54-59 : *La mort d’un chat (bistoire véritable)*.

2. Præmittuntur verba Gallica quibus carminis argumentum continetur : cat-tus, quia in Sanctæ Barbaræ culina perdicem furatus erat, supplicio est affec-tus ; cuius pronepos, qui calamitate illa accepta in cellas Collegii Ludoviciani ('Louis-le-Grand') Sanctæ Barbaræ adiacentis confugerat, sociis, ut ipsos eorumque progeniem moneat, rem omnem ut acta est eloquitur ætate iam provectus. « Il y a quelques années, un chat, ayant dérobé une perdrix dans l’office du cuisinier de Sainte-Barbe, fut condamné à mort et exécuté. On rapporte qu’un de ses arrière-petits-fils, qui s’était réfugié dans les caveaux du collège de Louis-le-Grand par suite de cette catastrophe, étant déjà avancé en âge, sollicité par une troupe de ses camarades, leur raconte cette histoire pour l’instruction de leur postérité. »

3. Agitur de ephebo Sanctæ Barbaræ.

4. Sive Adolfus de Lanneau gymnasiarches.

5. Seu (v. 19)... aut (v. 21) : Coniunctivi tolerandi, quippe qui ad rem repetitam spectent (cf. Ernout-Thomas, *Syntaxe latine*, pp. 399-402) ; at seu... aut inter se subsecuta minus placent (at cf. Leumann-Hofmann-Szantyr, *Lateinische Grammatik*, II, p. 522).

6. Præstabat modus indicativus, at coniunctivum habent Iustinus aliique scriptores.

7. Hic geminos inter (v. 38)... forte coquos inter orta est (v. 39) : hunc locum a typographo vitiatum suspicor ; nam productionem in arsi et præpositionem ‘inter’ geminatam vix probarim ; poetæ « forte coquos præceps », « forte coquos demens » vel nescio quid simile forsitan scriperint.

8. In marg. : « une perdrix aux choux (historique) ».

9. Prætonat (cf. *Thes. ling. Lat.*, s.v.) hic nisi fallor pro protonat (cf. VAL. FL.

4, 205 : 'Nec genus unde rogat, sed tali protonat ira', ubi edd. vett. lectionem 'prætonat' e codicibus afferunt.

10. Sequuntur verba nonnulla Gallica ; e quibus discimus cattum diu indagatum esse atque in extrema quadam cella a ministris repertum prope perdis reliquias ; cum fortiter restitisset, captum esse ac vinctum ; tum in ius rapturn esse : « Ici la narration continue. Les ordres du chef sont ponctuellement exécutés. Après bien des recherches, on finit par trouver le ravisseur dans un coin de la cave, auprès des restes de sa victime. C'est en vain que, rappelant tout son courage, il oppose à ses ennemis une résistance honorable ; il est pris, chargé de liens, et traîné devant le tribunal de son juge. »

11. Vocabuli huius, quod apud poetas raro legitur, perperam syllaba altera est correpta, tertia producta.

12. In marg. : « élèves de rhétorique ». Cf. Jalabert - Sacré, 'Bibliographie intermédiaire', p. 228 : iidem iam anno 1825 carmina publice protularent. Cæsar autem Malibert etiam anno 1824 ea spe composuerat versus, ut recitari possent ; qui typis non sunt excusi (cf. *Institution de l'Université, maison de Sainte-Barbe dirigée par M. Lanneau fils. Exercice littéraire annuel pour les hautes classes à l'occasion des examens de Pâques* [Parisiis, 1824], p. 57 : « Des élèves de troisième avaient composé quelques pièces de vers pour la circons-


tance ; notre usage de n'admettre à cet exercice que les deux classes supérieures, n'en a pas permis la lecture. Nous leur devons toutefois une mention honorable pour le zèle dont ils ont fait preuve. Ces élèves sont les jeunes Dollfus, Jacquet, Loyer et *Malibert*. »)

13. Nec plura Landuccius, qui versibus præmisit hæc : « (...) la sepoltura di un disgraziato, che malamente finì i giorni suoi per esser stato morso in un dito da un gatto ; vi sono intagliati questi due versi, che molti per curiosità si fermando, & a posta vengono per leggerli. »

14. A. Chambers (ed.), *The General Biographical Dictionary (...). A New Edition* (...), 3 (Londonii, 1812), p. 359. Versus denuo afferuntur ; qui nulla re differunt nisi quod pro *trabitur* legitur *capitur*.

15. Cfr. P. Visschers, 'Épitaphes de familles anversoises à Rome', *Annales de l'Académie d'archéologie de Belgique*, 5 (1848), 61-79 (p. 67 ; subiungitur etiam versio Nederlandica anno 1770 facta) ; R. de Mattei, 'Di un felino micidiale e di una lapide consunta', in *Strenna dei Romanisti* 1963 (Roma, 1962), pp. 162-166 ; U. Gnoli, 'Parto di mula e bestie omicide', in *Strenna dei Romanisti* 1940 (legitur in interrete).

16. Cfr. Rabelais, *Oeuvres complètes*. Texte établi et annoté par J. Boulenger. Édition revue et commentée par Lucien Scheler, Bibliothèque de la Pléiade (Parisiis, 1955), p. 589 (cum adnot. 7).



André Gill (1840-1885), 'Le chat' (J. Raabe, *Bibliothèque illustrée du chat*, Paris, Éditions de la Courtille, 1977)

DIALOGVS MERCVRII ET DIOGENIS

- *scripsit Daniel Blanchard -*

DIO – Heus, quis dolium meum obturat ? Quisquis sis tu, remove mundum tuum ex sole meo.

MER – Da mihi veniam, senex, te non videram.

– Quomodo fit ut deus onustior asino in urbe nostra ambulet ?

– Non semper quippe facile negotium est. Bonum autem pretium ex his tabulis exspecto.

– Num fit apud pictores tam magna pingendarum tabularum inopia, ut oporteat te ipsum magno pretio eas ferre ?

– Pingendæ non sunt, immo pictæ. Sunt opera artificis notissimi quæ nominantur « Monochromata alba ». Si unam imponeres in dolio tuo, illuminaretur funditus, neque deessent tibi amici qui cupiditate eius videndæ arderent. Non tamen, ut puto, satis dives es ut emas.

– Neque satis stultus sum ut emam. A rebus, quæ mihi inutiles sunt, abstineo, nec ineptiis obrui volo huius farinæ.

– Sciebam te nomen philosophi tibi vindicasse : nuncne et peritum pulchrarum artium esse dicis ?

– Neque philosophus, neque peritus ullius rei sum : oculis autem meis utor, quod raro patet fieri inter homines. Quis enim potest talia compos mentis emere ?

– Homines probo gustu prædicti.

– Solebant olim homines delicati tabulas quærere, ut a consuetudine vulgarium rerum puncto temporis saltem fugere possent. Emebant ergo opera summæ pulchritudinis, non areas albi atramenti.

– Visne tu pauper et insipiens statuere quis sit verus artifex vel aptus pictor ? Qui nihil scis de arte nostræ ætatis, neque ullam tabulam possides ?

– Pauper sum, non cæcus.

– Nonne ad aures tuas venit fama huius artificis, cuius quadrata monochromata ab omnibus quæruntur ?

– Audivi istum bene lauteque vivere, atque superbia psychotropicisque inflari.

– Artifices animam habent sui generis, notum est. Noli igitur mores illius iudicare, qui ipse procul a cultu humano vivis. Si autem omnes docti homines pictorem illum magnum artificem habent, quin conaris opera eius intelligere ? Et populus quidem eum veneratur.

– Nunc plura de populo quam de pictore narras. Dicam bonum pictorem esse, qui pulchras tabulas pingere valeat.

– Ille opera magni pretii pinxit. Nonne satis est ? Spiritus inspiratorque suæ ætatis est. Vide : omnes opera eius domi habere cupiunt.

– Nihil facilius, ipsi igitur monochromata alba sibi faciant. Vili pretio ea sic habere poterunt.

– Populus autem non tam improbus est quam tu. Respiquint enim, quæ pretii sunt. Docentur in schola qui sint artifices admiratione digni.

– Sine dubio tu, mercator astutissime, libros scholasticos scripsisti ?

– Non ipse, sed amici mei. Erras autem, si arbitraris me ipsum artifices elegisse. Populus sua sponte eligit, et fama. Hæc est democracia, et progressus temporis. Artifex verus nunc dignoscitur a favore populi. Quomodo, exempli gratia, possis dicere artificem quendam esse, cuius opera nemo emere velit ?

– Ego non dico quis sit, sed optime perspicio quis non sit. Si de arte vel de pulchritudine plura scire cupis, quin tendis ad Platonis Aristotelis discipulos ? Isti de his materiis continenter disputantes te libenter docent.

– Hui, oportet finem habeat tyrannis istarum veterum barbarum. Quam tædiosi sunt ! Neque valebunt isti dicere, sicut diurnarii mei, quæ tabulæ emendæ sint, vel qui sint pictores, quorum opera maximam spem lucri mercatoribus dent.

– Has quæstiones tibi linquo ; libetne tamen tabulas tuas removere ? Lux enim solis, quamquam omnibus gratis conceditur, mihi cunctis rebus pretiosior videtur esse. Vale, et multos nummos numeres. ☺

HONOS ALIT ARTES

adagium 792

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XVI)

VLTIMVS IMPERII SPLENDOR

- scripsit Gaius Licoppe -

Successio Alexii I Comneni videtur facilis, cum filium habeat, Iohannem II Comnenum (1118-1143), quem anno 1092 throno consociavit. Eius tamen soror maior natu, Anna, conspirat, favente matre Irena, ut Iohannes removeatur et suus maritus Nicephorus Bryenne imperator fiat. Dum Alexius ultimas horas vivit a sorore Anna in monasterio Manganæ custoditus, filius Iohannes audacter palam nuntiat patrem vita functum esse et raptim basileus proclamatur in ecclesia Sanctæ Sophiæ et Senatu ; a populo acclamatur, sed porta Palatii Sacri ei manet clausa. Irena et Nicephorus Bryenne, cum audiunt Alexium I mortuum esse, Iohannem diutius impedire non audent.

Anna autem, quæ non desperat aliquando fore ut sit imperatrix, postero anno curat ut Iohannes II trucidetur. Eius tamen maritus non cooperatur ; itaque, irrito incepto, in monasterium relegatur, ubi reliquis vitæ annis eleganter conscribit patris biographiam c.t. *Alexias*.

Iohannes II cognominatur sive « Maurus » propter corporis aspectum, sive « Kalojannis », i.e. pulcher Iohannes, propter animi benignitatem. Est efficax administrator. Eius consiliarius maxime æstimatus est Turcus Axouch, amicus a puero,¹ qui fit « Megas Domestikos » et exercitui præest, id quod Imperatoris familæ valde displacebat.

Iohannis II consilium est recuperare omnem Imperii agrum a Turcis occupatum necnon Antiochiam tunc in Crucigerorum dicione. Intra 22 annos regni plus temporis degit cum militibus, quam Constantinopoli ; quare populus Byzantinus eum cum Marco Aurelio comparat. Primum inter annos 1119 et 1121 bellum contra Turcos Seldiucidas gerit. Hi enim fœdus cum Alexio I pactum non respexerunt ac Laodiceam Phrygiæ vallemque Mæandri ceperunt. Iohannes II eos vincit et expellit.

Anno 1122 nomades Petseneci, quos Alexius I non sine difficultate vicerat, Macedonia et Thraciam iterum vastant. Iohannes II cogitur exercitum ex Asia Minore in Europam transferre. Agreditur castra, quæ Petseneci in Macedonia prope oppidum Berœam muniuerunt, eosque profligat ; superstites sive coloni fiunt, sive militum corpori immiscentur, sive trans Danuvium in Hungariam confugiunt ; nomen Petsenecorum disparet.

Non est finis rebellionis in regione Balcanica. Contra Serbos, deinde Dalmatas bellare debet ; eos vincit. Etiam Hungari in Imperium irrumpunt, quamquam Iohannes II uxorem duxit filiam Hungariæ regis Ladislai I, Piroskam nomine, Irenam Constantinopoli postea vocatam. Anno 1128, Hungaris victis, Iohannes

II pacem restituere valet ad Danuvii limitem.

Dum hæc feliciter geruntur, aliquid gravissimum et aliquando letale accedit : Venetiæ Imperio fiunt infestæ. Alexius I, cum auxilio Venetiarum classis egeret, pactum cum eis fecerat, quo in Imperio a portorio partim liberabantur. Iohannes II, comperiens ærarium hac liberatione multam pecuniam amittere, pactum statuit non renovare ac reclamantes Venetiarum legatos ignorat. Venetiæ, quarum classis tunc potentissima facta est, non dubitant bellum Imperio inferre. Occasio præbetur a Francis, qui auxilium petunt, cum rex Hierosolymorum Balduinus II a mahumetanis captus sit. Dux Domenicus Michele anno 1122 solvit ad Palæstinam cum classe amplius centum navium ; eius tamen præcipiuus scopus est Imperium punire ; quare in itinere Rhodus, Chium et Lesbum vastat.

Ad litus Palæstinæ Francos adiuvat, nonnulla loca diripit, Sidonem aggreditur et Tyrum post obsidionem quinque mensium anno 1124 capit. Persoluto promisso Francis facto, Venetiarum Dux ad præcipuum propositum suum reddit, i.e. Imperium lacescit ; insulas Samum et Andrum vastat. Post brevem intercedinem Venetii anno 1126 portum, c.n. Methone, ad litus occidentale Peloponnesi situm, expugnat et muniunt, qui fiat magna statio navalis in itinere ad Terram Sanctam. Insulam Cephalonnesum etiam diripiunt.

Iohannes II, quippe qui has vastationes impeditre non valeat, cogit legatos Venetias de pace mittere et etiam plus concedere debet, quam fecit Alexius I. Insuper ad temperandam Venetiarum potentiam etiam rebus publicis Genuensi et Pisanæ dat exonerations et monopolia. Exitus huius conflictionis gravissimus est : Imperium iam non est magna potentia commercialis et navalis ; hirudines eius sanguinem magis magisque sugunt.

Ab anno 1130 Iohanni II iterum licet bellum in Asia minore gerere. Turci potiti sunt Ancyra atque exercitum Antiochiæ principis, Bohemundi II, profligaverunt ; timendum ergo est ne Antiochia in mahumetorum dicionem cadat. Bona occasio Turcorum aggrediendorum præbetur, cum eorum principes inter se decertant ; res mira, is, qui vincitur, Constantinopolis confugit. Iohannes II cum magno exercitu Turcos per quinque continuos annos vincit atque anno 1135 Constantinopoli magno triumpho honestatur, magna Asiæ minoris parte recuperata ; nemo Turcus tunc ei par est.

Cogitat deinde de recuperando agro iure Byzantino, quem christiani sibi attribuerunt, i.e. Ciliciæ regnum Armeniacum et Normannorum principatum Antiochensem. Anno 1137 intra sex tantum menses

Armeniacum regnum in dicionem suam redigit. Inde Antiochiam petit et obsidet. Princeps Raimundus Pictavæ urbem reddere non vult sine arbitrio Fulcis, Hierosolymorum regis, qui respondet Antiochiam ex foedere Deaboli anno 1108 pacto ad Imperium sine dubio pertinere.

Ad Antiochiæ amissionem compensandam Iohannes II Raimundo Berœam promittit, quæ tamen urbs bene munita imprimis est expugnanda. Exercitus Byzantinus dicitur in Syriam septentrionalem, quæ est in mahumetanorum dictione. Eum comitatur ala Crucigerorum et alia non parva Templariorum; his tamen diffidit Iohannes II, et merito; nam nonnullis arcibus iam expugnatis, cum urbem bene munitam *Chayzar* obsident,² Latini defectionem faciunt, qui malunt Berœam non capi, ut Antiochiam servare possint. Iterum christianorum divisio mahumetanis favet; Iohannes II, accepta urbis *Chayzar* redditione, Berœam non petit et Antiochiamredit, ubi a Latinis ducibus insidiouse tractatur.

In foedere Deabolis etiam dicebatur patriarchæ Latino substituendum esse orthodoxum. Papa Innocens II a patriarcha Latino invocatus omnem cooperationem ecclesiæ catholicæ cum Byzantinis vetat, si removeatur. Iohannes II tamen non malum commercium habet cum papa. Post schisma anni 1054 complures papæ conati sunt commercium cum ecclesia orthodoxa restituere. Anno 1142 Iohannes II ad papam scribit indicans quomodo duæ ecclesiæ iterum coniungi possint; theologi Byzantini, ait, parati sunt ad controversiam de novo examinandam, mente aperta et ad concordiæ reconciliationem prona. Re vera fideles christiani Latini et orthodoxi pacifice convenient, altero alterum respiciente. Hoc tamen conamen est frustra, cum papæ tunc nimis occupentur bello gerendo.³

Anno 1139 bellum renovatur in Asia minore et contra Turcos et contra rebellem Trabzuntis præfatum. Utrumque vincit Iohannes II, at, res mira, dum arcem *Niksar* obsidet, nepos Iohannes, fratri Isaac filius, ad hostem transit, sultani filiam uxorem ducit et se ad religionem mahumetanam convertit; hoc imperatori, qui obsidionem relinquuit, est summo dolori.

Anno 1142 Iohannes II in Syria bellum iterum gere re debet, cum Raimundus Pictavæ Turcorum impetum sustinere non valeat. Eum comitantur quattuor filii, quorum intra breve tempus duo febri maligna pereunt, heres Alexis et Andronicus. Iohannes II, quamquam maximo dolore afflictus, bellum perficit, sed Raimundus Pictavæ eum non sinit Antiochiam intrare; aggrediendum ergo est; obsidio tamen differtur,

cum iam sit hiems.

Anno 1143 inter venationem Iohannes II fortuito læditur sagitta venenata; paucis diebus post gangræna perit. In articulo mortis filium minorem natu, Manuelem, designat ut successorem. Iohannes Axouch Constantinopolin celeriter petit, ubi Isaac, Manuelis fratrem, in custodiam includit, usque dum Manuel Constantinopoli coronetur.

Manuel I Comnenus (1143-1180) non diu quiete fruitur. Anno 1144 Latinus comitatus Edessæ in Turcorum dicionem inopinanter cadit. Vicinus Antiochiæ princeps, Raimundus Pictavæ, instanti periculo coactus Constantinopolin adit, ubi auxilium ab Imperatore humiliter petit. Is eo facilis assentitur, quod Byzantini semper habuerunt Edessam et Antiochiam ut iure pertinentes ad Imperium.

Legatis regni Hierosolymitani et Ciliciæ Armeniorum ad papam Eugenium III missis, Edessæ expugnatio Occidentem valde commovet. Bulla « Quantum prædecessores » papa christianos ad cruciatam expeditionem faciendam vocat. Anno 1146 Bernardus Claravallensis, monachus tunc clarissimus, cruciatam expeditionem primum Veziliaci (v. *Vezelay*) prædicat. Hoc placet Francogalliae regi, Ludovico VII, qui peregrinationem Hierosolyma facere cupit, ad expianda magna peccata. Bernardus deinde Germaniam petit, ubi imperatori Conrado III suadet ut cruciatam expeditionem participet.

Ambo, rex et imperator, cum suo quisque exercitu secundam cruciatam expeditionem per Germaniam et regiones Balcanicas Constantinopolin ducunt (1147). Byzantini crucigeros timent magis etiam quam tempore primæ cruciatæ expeditionis, et re vera eis potius impedimento quam auxilio erunt. Conradus III primus advenit; Manuel I ab eo petit, ut in sua verba iusurandum det, sed frustra. Conradus III in Asiam Minorem transit et solus progreditur; cum Dorylæum appropinquat, exercitus a Græcis incaute ductus in insidas cadit et fere totus a Turcis exterminatur; Conradus III cum paucis confugit Constantinopolin.

Ludovicus VII paulo post Conradum advenit in urbis mœnum conspectum, quam nonnulli barones ei suadent ut expugnet; potius tamen conatur bonam consuetudinem cum Manuele I instituere. Exercitu transfretato et castris iuxta Calchedonem positis, Byzantini nolunt cibaria crucigeris præbere, nisi barones iusurando promittant se omnes terras a mahumetanis captas Imperio tradituros esse. Ne sibi idem accidat ac Conrado III, Ludovicus VII iter facit secundum litus. Magnis variisque difficultatibus superatis, exercitus anno 1148 pervenit Antiochiam.

Notandum est Ludovicum VII secum duxisse uxo-

rem Eleonoram Aquitanam. Hæc Antiochiæ magno cum gaudio convenit Raimundum Pictavæ, patrum suum, qui ea, cum iuniores essent, iam familiariter utebatur. Cottidie vir eam festive tractat ac tam propinquus est, ut putentur adulteri. Post decem tantum dies, Ludovicus VII Antiochiam abrupte relinquit et Eleonoram vi cogit sequi.

Neglegens cruciatæ expeditionis scopum, qui est Edessam recuperare, petit Hierosolyma, quo iam advenit Conradus III. Regni Hierosolymitani regens Melisenda eis suadet, ut Damascum expugnant, quamvis Hierosolymorum reges cum Arabo emiro Damasceno bonam consuetudinem habere soleant. Hoc inceptum tam inepte suscipiunt, ut non succedat. Sic anno 1148 sine ullo effectu finitur secunda cruciata expeditio.

Manifesto Occidentales, qui Latini dicuntur quamquam Latine iam non loquuntur, duodecimo sæculo nondum sciunt quid sit magna res publica cum regimine et exercitu bene ordinato, ut est Imperium Orientale. Potentiores inter Latinos solum cogitant de feudo sibi constituendo bonis, quantum fieri potest, abundantia; non intellegunt parva feuda magnis mahometanorum regnis diu resistere non posse, eo etiam minus quod inter se rixari solent.

Anno 1149 Raimundus Pictavæ in prælio perit; anno 1153 eius vidua Constantia, tantum 27 annos nata, nubit Rinaldo Castellionis. Iste vir est pauper minor natu, qui fortunam in Oriente quærit; habetur ut magnificus bellator, sed potius est sordidus latro. Eius primum facinus fit anno 1156, cum in Byzantinam insulam Cyprum invadit eamque ferociter diripit. Milites incolas mutilant ut celatam pecuniam tradant; tanta est eorum feritas crudelitasque, ut Byzantini quærant qui sint hostes magis timendi, Saraceni an crucigeri. Cypri incolarum amaritudo eo maior est, quod crucigeris primæ expeditionis fame confectis cibaria præbuerunt.

Manuel I magno cum exercitu Antiochiam statim petit; tam celeriter progreditur, ut in Cilicia Armenius Thoros, qui Cyperi direptionem participavit, fugetur; omnia Cilicæ oppida iterum veniunt in Manuelis dicionem. Territus Rinaldus Castellionis anno 1158 Imperatorem adit ac pænitentis veste induitus veniam petit. Quam tum demum dat Manuel post longam expectationem, his condicionibus ut Antiochiae arcem tradat et alam militum Byzantino exercitui præbeat. Rinaldo Imperii vassalo facto, Manuel magna cum pompa Antiochiam triumphaliter intrat.

Postero anno Manuel, una cum Hierosolymorum rege Balduino III et Rinaldo Castellionis, adit Berœam,

cuius dux pacem sine mora petit decem milia christianorum captivorum liberando. Manuel tamen non ultra bellum gerit et Constantinopolin redit. In itinere a Turcis impugnatur sed victor evadit et Isauriam, Asiæ Minoris thema, liberat.

In Occidente anno 1147 Rogerus, Normannus Siciliæ rex, Byzantina insula Corcyra potitus est atque occasione secundæ cruciatæ expeditionis Thebas et Corinthum diripuit. Manuel Venetiorum classem arcessit, quæ Normanos profligat. Corcyra anno 1149 recuperata, Manuel I exercitum in Apuliam anno 1155 mittit, libenter acceptum ab incolis, qui dominos Normannos ægre ferunt. Initio res prospere geruntur una cum papa Hadriano IV (1154-1159); mox autem Normanni Siciliæ Byzantinos ex Italia expellunt, qui solum Anconam servant.

Manuel I cum Occidentalibus bonam consuetudinem habet; ipse anno 1146 uxorem duxit Bertham Sulzbachensem, cuius materterta uxor est imperatoris Germani Conradi III. Occasione societatis cum papa Hadriano IV contra Normanos Siciliæ factæ, Manuel I conatur ecclesias Orientalem et Occidentalem iterum iungere, frustra; papa enim primam condicionem imponit ut sua auctoritas ab omnibus christianis accipiatur, quod recusant Orientales.

Eodem tempore Manuel I bellum gerit ad limitem Danuvii. Rebellen tes Serbos vincit, qui iterum fiunt Imperii vassali (1150-1152). Hungaros bis aggreditur, annis 1151-1152 et 1163-1168. Quo ultimo anno eos prope Zemun profligat pacemque imponit Dalmatiæ Imperio addendo.

Iam quinque sæcula elapsa sunt a tempore, quo Imperium Orientale Ægyptum perdidit, sed numquam spes eam recuperandi amissa est. Putatur etiam in magno certamine inter christianos et mahometanos Ægyptus ad vincendum fore magnæ utilitati. Occasio videtur optima; opes enim califatus Fatimidarum ita corruunt, ut ab anno 1163 Amalricus (lingua Francorum: *Amaury*), Hierosolymorum rex, in Ægyptum compluries irrumpat. Impeditur tamen a sultano Nur ad-Din (lingua Francorum: *Noradin*), qui totam Syriam mahometanam in dicionem suam redigit ad bellum sanctum (*djihad*) contra crucigeros gerendum.

Franci, qui intellegunt se solos vincere non posse, in Byzantinorum gratiam volentes nolentes redeunt. Anno 1162 Manuel I uxorem ducit Mariam Antiochiæ, anno 1167 Amalricus Mariam Comnenam, Manuelis I neptem. Ambo pactionem faciunt ad Ægyptum capiendam et inter se dividendam. Anno 1169 incohatur expeditio; quamquam Byzantini classem ducentarum navium mittunt, propter inordinatam cooperationem

socii non valent portum Tamiathem (lingua Francorum : *Damiette*) expugnare ; expeditio sine fructu finitur. Inter Aegypti mahumetanos defensores tunc apparet Salah ad-Din (lingua Francorum : *Saladin*), qui Hierosolyma capere valebit.

Nimis occupatus primum in Europa, deinde cum crucigeris, Manuel I impedire non potuit ne sultanus Seldiucida potens regnum (sultanatum *de Rum* vocatum, i.e. in Romanorum finibus) in Asia minore constitueret, cuius caput est Iconium (hodie : *Konya*). Manuel I, cum hoc tandem comperit, statuit Turcos Seldiucidas profligare et anno 1176 maximum exercitum dicit ad Iconium expugnandum. Incaute vero progredivi in insidias incidit apud Myriokephalon. Maior tamen pars exercitus servatur, sed machinae obsidione necessariae delentur. Quamquam Manuel I postero anno Turcos in proelio vincit, excelsa Asiæ minoris plenities in perpetuum perditur.

Imperatores stirpis Comnenorum valuerunt pacem restaurare in regionibus Balcanicis, quæ tunc magna prosperitate fruuntur. Thessalonica, secunda Imperii urbs pro incolarum numero, celeberrima est propter æstivas nundinas, quo undique Imperii confluunt frequentes mercatores. Constantinopolis est longe maxima

urbs totius Europæ ; ibi occurrere licet mercatoribus complurium civitatum Italicarum necnon crucigeris iter in Palæstinam facientibus. Corinthus, ubi fabricantur serica, floret. Cum anno 1180 Manuel I moritur, Imperium Orientale magna potentia fruitur ; infeliciter sæviores hostes ei sunt christiani Latini, præcipue Normanni Sicilienses et Veneti, quam ipsi mahumetani. ☠

1. Nicaea anno 1097 expugnata, parentes Iohannis Axouch a Crucigeris trucidantur ; solus servatur, cum tener puer sit ; dono datur Alexio I, qui eum ut filium in aula educat ; Imperatoris filio Iohanni eiusdem ætatis fit amicus fidus. Non raro tunc temporis Turci munera funguntur in administratione et exercitu Byzantino.

2. Notandum est in his obsessionibus Byzantinos uti novo genere mangano-rum, quæ vocantur « trabuci » (Fr. *trébuchet*) ; hæ sunt machinae versiles, quibus ingentia saxa in munitiones mitti possunt.

3. Papæ tunc eliguntur a potentissimis Romanorum nobilium familiis. Innocens II (1130-1143) eligitur cura familie Frangipanorum, at eodem tempore familia Pierleonus unum e suis eligit, qui nomen Anacleti II assumit. Schisma finitur anno 1138 morte Anacleti II.



Fines Imperii Orientalis anno 1180, cum moritur Manuel I Comnenus.

PRO NEOLATINITATE ET LATINITATE HODIERNA

– *scripsit Paulus Kangiser –*

Confiteor me, qui iam senesco, post annos quadriginta litteras Latinas continuo legere vix posse multo labore didicisse, nam antea lectionem intermittebam ut lexicon inspicerem et meas dubitationes ex grammaticis confirmarem ; quare tamdiu continuo legere non potui ? Respondeo : tribus de causis : primum, quod ego omnia lente ægreque semper didici, nec possum cuiquam hoc vitium tribuere nisi mihi met ipsi ; secundum, quod, cum in alias res discendas præsertim leges doctrinamque iuridicam incumberem, mihi tempus defuit ut Latinitatem totam opportune perdiscerem ; præterea litteras Hispanas quoque discebam, districtissimus muneribus scholasticis ; tertium, quod apta methodo carui vel potius non una sed methodis variis et inordinatis usus sum, sic ut a via sæpe aberrarem et iterum atque iterum ab initio incipere deberem ; grammaticas a Petitmangin, Oroz, Godoy, Silva, Llovera, Sigler, Guasch, Schnitzler, Riemann compositas, quæ in Chiliam importabantur aut hic iam pridem editæ erant, præter alias in manibus commixtas parvo proventu habui ; in universitate Latinitatis elementa pauca tradebantur ; tunc Orbergianam methodum esse nesciebam, quam postea cognovi et nunc magni æstimo ; etenim methodo tam inepta usus sum ut aliter discere voluissem ; at nunc intendo communicare quantum mihi profuerit Neolatinitas, quæ in se discendi artem continet et mihi methodum adhibuit ut litteras Latinas protinus tandem legere possem.

Attamen Neolatinitas, de qua nunc loquor, haud ea est qua pristini Litterarum Renatarum scriptores utebantur vel Dantes, Boccaccius, Petrarca, a quibus Neolatinitas initium cepisse dicitur (sic enim Neolatinistæ Amstelodami congregati anno 1973 definerunt) ;¹ sed de ea Latinitate loquor, quæ est hodierna et de nostris diebus plerumque tractat. Latinitas vetus (quæ etiam « classica » nuncupatur) et Neolatinitas eadem grammatica uti debent, iisdemque vocabulis, exceptis admodum paucis, quæ ad res recentiores pertinent ; interdum opus est antiquis vocibus novum inserere sensum, qui suis radicibus etymologicis congruens, res quoque novas significare possit ; historia antiqua item Neolatine tractari potest, ut res antiquitas gestæ ab hodierno conspectu existimentur.

Quæ nostra ætate scribuntur ea continuo legere possumus sine magno labore ; ego *Melissam* Neolatine scriptam accipio bimenstruam et totam lego sine intermissione usque ad paginam postremam. Scriptum vero Ciceronianum tam facile lectu nunquam habui ut statim atque totum intellegerem ; immo atque interdum lexicon adire atque contextum historicum quærere debui ad rem totam intellegendam (præsertim epistu-

las) ; in Cicerone legendō non satis est nos grammaticam et vocabularium didicisse, sed res quoque historicas illius temporis cognoscere : is qui quodlibet scripsit ea litteris non mandavit quæ iam nota a lectoribus coævis putaret. Omne scriptum in se notitiam temporis sui tacitam continet ; itaque omnis scriptor rem, quam demonstrare velit, se legit et describit ; reliquas quia lectoribus æqualibus pernotas omittit. Ciceronianas litteras si legimus, multa nobis erunt abscondita, quia Cicero cum ad Atticum amicum vel Terentiam uxorem vel Quintum fratrem scribebat, omisit ea quæ lectores iam noverant ; si eadem nos ignoramus, epistolarum pars incompta nobis remanebit ; at minime nobis fugiunt quæ nostris diebus accidentū ; cum legimus vero Ciceronem Attico confessum esse se nulla re delectari nisi Idibus Martiis (XIV, 6), quamvis vocabula transferamus in linguam vernaculam et grammaticam explamus, minime intellexerimus nisi Iulium Cæsarem Idibus Martiis interfectum esse meminerimus.

Hodiernam Neolatinitatem – quoniā agit de rebus proximis quas memoria tenemus vel novimus – sine intermissione legimus ; inde fit ut periodi et commata ante oculos appareant neque ulla dubitatio historica obstet quin sensum intellegamus. Idcirco mihi valde favit Grex Latine Loquentium² ubi leguntur et nugæ et opiniones, ex quibus altercationes nonnumquam oriuntur, sed etiam interdum symbolæ vere amoenæ ac lectu dignissimæ. Cottidie Gregis paginam inspicio ; at plura adhuc desunt nobis lectoribus Neolatine scripta ; itaque magni facio libros Neolatinos a domibus editoriis in publicum datos, vel præter alios, Baronem Mynchusanum³ atque Grinchum⁴ et Cattum Petasatum,⁵ qui sunt pueris aptati (utinam Harrius Potter accuratius translatus esset) ; volumen cui titulus *Navigare necesse est*⁶ a variis auctoribus scriptum non displicuit ; sunt etiam paginæ interretiales Latine scriptæ vel *Ephemeris*,⁷ quæ semel in hebdomade nuntiat res novas, et aliæ, quæ sæpe renovantur.

Litteræ Latinæ tamen in dies recessunt ita ut vel in schola media iam abrogatae, vel magis magisque deminutæ sint et nullius momenti a multis putentur ; grammatica, nisi methodo Orbergiana vel simili⁸ doceatur, fit dura ac difficilis disciplina, ita ut discipuli ab hoc onere liberari cupiant, quorum animo liberandi non pauci politici favent. Ecclesia autem Catholica, quæ usque ab Sancto Hieronymo Latinitatem universe coluit, post Concilium Vaticanum II sermone vernaculo in liturgia utitur ; inde patet Latinitatem iam non esse linguam Ecclesiæ propriam sed cuncti – Catholici et non Catholici – eam nostram usurpare possumus.

Postquam Ecclesia Latinitatem pæne deseruit multi

viri litterati vel Pater Cælestis Eichenseer, quem hic non patior ut sileam, Latinitatis vivæ vexillum fortiter sumpserunt atque docere, colloqui, scribere perrexerunt non solum ut Latinitas ecclesiastica servaretur sed etiam omnis Latinitas et præsertim Ciceroniana vel *Ætatis quæ dicitur Aureæ*; Neolatinitatem valde auxerunt hi viri litterati qui tunc litteras Latinas ac Neolatinas foverunt: præter alias Eichenseer, Angelino, Helfer, Paratore, ne eos nominem qui adhuc vivunt.

Quo tandem hæ meditationes tendunt atque in quem scopum sagittam collineo?

In hoc bello pro Neolatinitate suscepto desunt auxilia philologorum et academicorum qui litteras nisi antiquas colunt, quæ vivæ fuerunt usque ad sæculum fere VI; apud academicos studiorumque universitatum professores sæpe invenitur talis sententia ut Latinitas lingua sit historica, apta ad solas litteras resque gestas Romanorum Europæorumque veterum cognoscendas atque in linguam cuiusque vernaculaam transferendas; etiam comperitur multos negare hanc linguam esse validam ad res hodiernas narrandas, examinandas, altercationibus discernendas. Neolatinitatem igitur contemnunt; nemo dubitat quin veterum sapientia atque historia litteris Latinis servata maximi sint momenti (præsertim ne in eadem vitia incidamus); attamen si Latinitatem servare velimus non nisi usu cottidiano eam servabimus, qui usus magis in rebus hodiernis quam in veteribus consistit.

Vetus vero Latinitas non facile a quovis lectore intellegitur nisi cottidiano usu linguam pernoscat atque sit historiae Romanæ assuefactus. Übinam usus cottidianus invenitur? Hodie quidem fere nemo usum habet linguæ Latinæ cottidianum; quonam modo possumus plures fieri, qui Neolatinitate utimur?

Senes Europæi, cum essent pueri, litteras Latinas inviti didicerunt; adeoque hæc erat dura disciplina ut schola egressi, nunquam postea librum ne unum quidem Latinum legerent. Huc accedit quod politici Europæi, cum cives duodeviginti annorum in comitiis suffragari posse iuvenesque Latinitatem repellere comperrissent, bellum in Latinitatem iam simulate iam palam indixerunt, ut iuvenes factioni suæ asseclæ fierent; in dies studiorum programmata veteribus litteris paulatim vacuefiunt; difficile enim est discipulis intellegere scriptum sæculi I a.Chr.n. nisi grammaticam vocabulaque atque res tum gestas pernoscant ita ut verba in contextu historico significationem suam ostendant; præterea veteres scriptores et maxime poetæ plurimos deos sæpe scribendo invocabant quos oportet cognoscamus ut sensus pateat; nulla mythologia nobis necesse est Neolatinitatem præsertim hodiernam intellecturis.

Professores et philologi et academicí quoniam Neolatinitatem usumque cottidianum non fovent in oblivionem demum litteras Latinas condemnant. Quare? Quia lingua quæ cottidiano usu caret paulatim moritur; itaque Latinitas fiet sicut scriptura hieroglyphica quam pauci periti unice noscunt. Academicí qui

solam eruditionem philologicam⁹ colunt, discipulos tædio in Latinitatem afficiunt et inde in odio litteræ Latinæ facile erunt; utinam professores in universitatibus studiorum litteras Neolatinas sæpe discipulis commendarent.

Quid tandem boni Neolatinitas nobis affert?

Cum opus litterarium *Ætatis Aureæ* in manibus habemus duo sunt nobis – præsertim discipulis – simul agenda: atque cum vocabula tum etiam syntaxin cognoscere, atque ea quæ non expresse dicta sint, e contextu vel aliis de eadem re scriptis moribusque antiquis colligere. Sin autem ambo simul conanmur difficile opus habebimus; si vero linguam primo et deinde, syntaxi iam pernota, contextum historicum aggre-dimur, separatim obstacula multo facilius superabimus. In Neolatinitate legenda nobis non nisi grammatica et vocabularium necesse est, et idcirco lectionem continuam exercere possumus; Ørberg optime quidem fecit, cum linguam Latinam per se illustratam proferre curaret, at discipuli post *Romam Æternam*¹⁰ lectam in Latinitatem hornotinam oportet inducantur eo consilio ut hanc linguam et ament et usurpent ac per interrete inter sese de rebus agant hodiernis; postea ibimus in *Ætatem Auream*.

Liceat denique mihi Quintiliani sententiam imitari: nulla ætas invenitur felicior quam nostra, quia veteres Græci ac Latini et mediævales litterarri et Litterarum Renatarum humanistæ diligenter atque sedule nobis elaborarunt, nec non sæculi XIX philologi, qui nobis de textibus antiquis certitudinem attulerunt. Hæc sententia iam a Quintiliano edita est sæculo I post Chr.n.: « Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi ætas felicior quam nostra, cui docendæ priores elaborarunt »;¹¹ nunc autem sæculo XXI id magis verum est ac magis necessario oportet cultum civilem servemus Europæum, qui etiam in aliis plagiis viget; at non possumus ad antiquitatem subito reverti, sed paulatim est nobis appropinquandum per Neolatinas vias (multæ patere possunt) ne discipuli magno labore defessi a sapientia veterum discedant. ☩

1. Vide : Guy Licoppe : *Le Latin et le Politique, Les avatars du latin à travers les âges*; Musée de la Maison d'Érasme, 2003, pag. 32.

2. grex@man.torun.pl

3. Fundatio Melissa, 2001.

4. Bolchazy-Carducci, 1998.

5. Bolchazy-Carducci, 2000.

6. Edidit Francisca Licoppe-Deraedt, Fundatio Melissa, 2006.

7. <http://www.alcuinus.net/ephemeris/>

8. Genovefae Immè: *Lingua Latina Schola* (duo volumina), Italibri, 2003.

9. Philologia sensu vero et proprio plus quam eruditionem complectitur (Vid. Gaetano Righi : *Historia de la Filología Clásica*, editorial Labor, traducción castellana de García de la Mora, Barcelona, 1967).

10. Hans Orberg : *Lingua Latina per se illustrata, Pars II, Roma Æterna*, Domus Latina, anno MMIII.

11. De Inst. Orat., XII, 22.

GRATVLATORIA

*Guy Licoppe octo decies per annos
Vivit; est Gaius, merito Latino
Nomine ornatus; loquitur perite
Voce Latina.*

*Sic, salutis cum medicus gerebat
Optime curam radiis laborans,
Semper aures ingeniumque tangunt
Verba Latina.*

*Hunc sonum totamque amat banc loquela
Atque Bruxellis lepidam Melissam
Edit; est doctor quasi litterarum,
Classicus ipse.*

*Cumque Francisca domus eleganti
Coniuge est splendens; colitur libenter
Pulchritudo cum sociis honestis
Hoc duce: Gaio.*

*Die 27^o mensis Iunii,
anno 2011^o,
gratulatur
Alfonsus Weische Monasteriensis.*

*Ecce, Gai, annos celebras frequentes
Nempe, qui primus revocare ad oras
Belgicas linguam veterum Quiritum
Non timuisti.*

*Nam tibi pectus, cor et os et ardor,
Sanguis et robur, genuina virtus,
Sunt viri antiqui redivivi ab ævo
Romulidarum.*

*Semper bærebunt mibi pectore imo
Tempora, heu longe, quibus inter auras
Et maris fluctus licuit latine
Te duce fari.*

*Gaio Licoppe octogenario
pepigit Alanus Van Dievoet.*

DE NOVIS LIBRIS

De arte grammatica. Festschrift für Eberhard Gärtner zu seinem 65. Geburtstag, herausgegeben von C. Döll, S. Grosse, C. Hundt und A. Schönberger, Francofurti Mœnani, Valentia, 2010, 683 p.

Hoc crassum volumen gratulatoriorum participaverunt 36 homines docti, qui sua quisque lingua, id est sive Theodisca sive Hispanica sive Portugalica, in honorem professoris Gärtner varias tractaverunt quæstiones ad artem grammaticam, præcipue linguarum romanicarum, pertinentes. Eberardus enim Gärtner scientiam linguarum Hispanicæ Portugalicæque annis 1994-2007 Lipsiæ docuit in studiorum universitate, quæ unum habet e clarissimis institutis ad has linguas pertinentibus. Ei, quibus hæ quæstiones sunt cordi, symbolas certe libenter legent de Boncompagni *Rhetorica novissima* (A. Schönberger), de Petrarcæ influxu in Portugalicis litteris piis sexto decimo sæculo (D. Briesemeister), de sermone urbis c.n. Flumen Ianuarii (*Rio de Janeiro*) (D. Callou), de multis aliis argumentis doctis.

ISBN 978-3-936132-30-4

In hoc fasciculo !

Reditus Athenas [G. Licoppe] p. 1

«Infremuere ollæ gemitumque dedere patellæ» : de catto suppicio affecto carmen iocosum (II) [Th. Sacré] p. 4

Dialogus Mercurii et Diogenis [D. Blanchard] p. 9

De Romano imperio orientali (XVI) [G. Licoppe] p. 10

Pro Neolatinitate et Latinitate hodierna [P. Kangiser] p. 14

Gratulatoria [A. Weische, A. Van Dievoet] p. 16

De novis libris p. 16

Imago tegumenti : Athenæ – Acropolis sæculo XIX descripta (bibliorare.com).

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30. Lectiones
incohantur mense Octobri.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuaæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

